64

I. N. J.

DE

AQVIS SALUBRIBUS MIRACULOSIS

Diſſertatiuncula Theologica

Qvam

In laudem DEI OMNIPOTENTIS occaſione illarum, qvæ V. Kal. April. M. DC. LXI. propè pagum Holtz-Thaleben in Comit. Schvvartzburg. Inferiori proruperunt, conſcripſit & in materiam Colloqvii Synodici m. Septembri loco horisq; conſvetis habendi proponit

JACOBUS TENTZELIUS, SS. THEOL. LIC. Paſt. & Superint. Greuſſenſis

Reſpondente

GOTTFRIED Weißen / Paſtore in Holtz-Thaleben.

ERFFURTI,
Excudit PAULUS MICHAEL, A.O.R. M.DC.LXI.

505

IN NOMINE JESU!

De aquis ſalubribus miraculoſis
Diſſertatiuncula Theologica,
Prooemium.

N*On equidem tritum adeò eſt, quod carpendum aggredimur iter: Scopulis illud laborioſum redditur; Dux item & autor nobis opus eſt, Neq; tamen deterreri nos patimur, ut potius ad divini Nominis gloriam & veritatis ſine fuco culturam vel tentare ſaltem aliquid non dubitemus. Atq; brevitate conciſâ & ſimplici ſtylo. Non enim præſentis inſtituti ratio fert aut juſtum conſcribere commentarium, aut vocibus luxuriari. Materiam colloquii Synodici Dominis Confratribus propoſuiſſe ſatis nunc eſt. Hoc autem ut cedat feliciter,* Te aquæ vivæ fontem verè ſalutarem, JESU CHRISTE Salvator dulciſſime, devotè imploramus, ut SPIRITUS Tui SANCTI gratiâ deducere nos digneris in omnem veritatem! Amen!

I. Scatere cœpit V. KL. Aprilis anni currentis M. DC. LXI. inſolitus fons in eo, qui nõ procul à pago Keülenſis præfecturæ Schwartzburgico, Holtz-[illegible] ſitus eſt, & ſylvula, vulgò das Möhliſche Holtz dicta eminet, monte ſitu excelſo. Mirabilis ejus origo erat. Cùm enim terra, propè ſylvulam dictam duobus verteretur aratris, atq; ea locum, ubi puteum nunc videre licet, vix tranſiiſſent, en! à tergo agricolarum terra repentè deorſum ruit & deſubito aquarum vivarum fons prorumpit. Figuram ille rotundam propè præ ſe fert, quæ ad duodecimum circiter pedem usq; talis deſcendit, ut operam Puteariorum de induſtriâ adhibitam repræſentare poſſit: Caveam item ad fornicis inſtar decem circiter pedes longam verſus Septentrionem protendit. Mox fontis hujus fama ad aures Phyſici cujusdam pervenit, qui rei novitate & ſanitatis, procul dubio, deſiderio motus aquas bibere cœpit & ſalutares illarum virtutes primus expertus eſt. Hunc ſequitur alter, eodem laborans morbo, eodem item eventu beatus. Inde rumor de aquis hujus loci ſalubribus longè lateq; emanare cœpit, permulti etiam mortalium ad aquas illas ſive præſtò adhibendas, ſive aliorſum transferendas accurrere. Neq; hoc fruſtra: Compertum enim ſatis eſt aquas has Deo benedicente cæcis, ſurdis, claudis, iis item qui phtiſi, hydrope, calculo & pluribus aliis morbis laborarunt, egregiè profuiſſe. Cæterum ob diuturnam, ceu conjicitur, æſtatis ariditatem & nimios haurientium conatûs, qui non ſemel aquas conſumſerunt penè omnes, factum eſt, ut

In principio Julij menſis aquæ vix non deficerent, paucis poſtea guttulis ebullientibus reliquis, quæ tamen, ubi collectæ fuerunt, virtutis ſuæ ſpecimina ediderunt non contemnenda. Nunc verò, dum hæc ineunte menſe Septembri ſcribimus pro certo refertur, aquas iterum in magnâ copiâ prorumpere, quibus vires ſalutares conſervare DEUS dignetur.

II. Nolo autem hiſtoriam fontis hujus prolixiorem nunc conſcribere. Pauca iſta partim ex propriâ αὐτοψίᾳ partim ex relatione ejus, cui Reſpondenti hâc vice munus injunctum eſt, recenſere placet, ut de præſentis diſſertationis anſâ & materiâ eo conſtet melius. Illius autem limites meritò in limine conſtituuntur. Aquæ ſalubres, ſecundum varias, quibus ſubſtant formalitates, varias ſortiri poſſunt diſciplinares ſedes. Prætereo verò ea quæ ad hiſtoricã, Geographiam, Aſtrologiam, Politicam quoq; inprimis Phyſicam & Medicinam pertinent, & ſi fortè plures ſunt diſciplinæ, quæ ſub ſuis ſingulæ formalibus habent, quod circa eas vel contemplentur, vel agant. Pauca ſaltem, quæ de aquis ſalubribus miraculoſis Theologicæ ſunt tractationis in gloriam ejus, qui facit mirabilia magna ſolus, Pſalm CXXXV. 4. jam delibare inſtitutum eſt.

III. Cæterum duplicem inprimis aquarum ſalubritatem Theologia docere ſolet, quæ hic primis lineis adumbranda venit, ne vocum homonymiâ fallamur. *Una ad ſalutem pertinet animarum*, quam *revera* aquæ quædam promovent, quædam *ex ſuperſtitioſâ hominum opinione promovere falſo* creduntur. *Revera, etsi non uno eodemq; modo* ſalutem animarum promovent 1. aquæ iſtæ *metaphoricæ*, vivæ Jer. II. 13. cap. XVII. 13. Salutares & mundæ Eſa. XII. 3. c. XLIV. 3. Ezech XXXVI. 25. quibus DEUS ſeipſum & Evangelium ſuum, varia itẽ SPIRITUS SANCTI dona & operationes ſignificat. 2. aquæ *Sacramentales* in Baptiſmo adhibendæ Joh. III. 5. 3 aquæ ſub *Veteris Teſtamẽti umbris* adhibitæ ad immunditiam ceremonialem purgandam Lev. XI. 25. 28. c. XV. 5. ſeq. ad peculiarem iſtam expiationem, de quâ Num. VIII. 7. & c. XIX. 7. ſeq. item ad ſacrificia tùm miraculoſa ut 1. Reg. XIIX. 34. 35 tùm ordinaria, ceu ex Joh. 19. 21. 23. 27. colligere ſatagunt nonnulli &c. *Ex ſuperſtitioſâ hominum opinione* ſalutem animarum unà cum corporũ ſanitate adjuvare inter Chriſtianos communi voce ita dictos præcipuè creditur aqva illa luſtralis, cui tantum tribuunt Papiſtæ. Varium aquæ abuſum in ſacris aliorum ſive extra Eccleſiam viventium, utpote modernorum Judæorum, Muhammedanorum & Gentilium, ſive hæreticorum in Eccleſiâ aut Veterum aut Recentiorum nunc lubens taceo

IV. Succedat potius altera aquarum ſalubritas, quæ *ſanitatem corporis humani* adjuvat. De hâc Theologum informat ſcriptura S. quod aquæ conducant ad ſanitatem hominis 1. *conſervandam*, idq; tùm ſitim reſtingvendo, cui ſini & in rerum primordio creatæ atq; in huncusq; diem conſervatæ, Pſal. CIV. 11. Prov.

in Pro. xx v xi, 25. &c. & quandoq; miraculosè productæ Exod. xvii. 5. 6. Num. 20. 11. 5. Jud. xv. 19. II. Reg. iii. 20. imò & per Angelum allatæ I. Reg. xix. 6. & noxiis qualitatibus liberatæ Exod xv. 23, 24, 25. II. Reg. II. 19, 20, 21, 22. legitimam tùm coctionem ciborum promovendo Exod. xii. 9. tùm balneis inserviendo Gen. xviii. 4. II. Sam. xi. 2. &c. II. *reſtituendam* & morbos pellendos, eóq; hoc viribus aut naturalibus, qvo nomine Abana & Pharphar & fluvios Damasci commendat Naaman *II.* Reg *V.* 12. quorſum etiam ordinariæ thermæ, acidulæ & id genus aliæ aquæ ſalubres referendæ; aut per extraordinarium Dei cõcurſum elevatis, cujus exempla in Jordane *II.* Reg. *V.* 14. Bethesda Joh. *V.* 4. Siloa Joh. *IX.* 7. occurrũt, qvorſũ aqvæ iſtæ inſolitæ & miraculoſæ, quas vulgò Geſundbrunnen/ Heilbrunnen vocant, etiam pertinent.

V. Ex his aquas ſalubres 1. ad ſalutem animarum 2. ad ſanitatem corporis vel conſervandam vel reſtituendam ordinariè conducentes à præſenti inſtituto removemus de illis tantum acturi inconſvetis & miraculoſis, quæ extraordinariè & licet per cauſas ſæpè phyſicas, eas tamen non ſolas, neq; omnino ſecundarum, sed præter aut ſupra ordinarium naturæ curſum hic & nunc conjunctas, diſpoſitas, elevatas, in actum productas, valetudini humanæ inſerviunt, morbisq; medentur.

VI. Sortiri tamen & illæ in Theologiâ diverſos poſſunt conſiderandi reſpectûs. Hactenus ex Verbo Dei conſcientias informare poteſt & debet tum *in genere Chriſtianorum qualiumcunq;*, ne circa iſtiusmodi aquas peccent *vel in exceſſu*, quod fieri poteſt, ſi in judicio de extraordinario Dei cum iis concurſu nimis ſint faciles & præcipites, ſi intempeſtivè ſint creduli falſa pro veris arripientes, ſi famam mendacem ſcientes ulterius propagent, ſi immoderatè & imprudenter ſine prudentiâ qvidem Chriſtianâ adhibitâ, qvam exponere Theologo incumbit, eam qvæ ex Phyſicis, Medicis, Politicis item etſi quæ ſunt alia, principiis deducenda eſt, ſuis relinqventis Autoribus) illis utantur &c. *vel in defectu*, qvod fieri poteſt, ſi hujus generis mirabilia planè negligant, ſi iſtorum admiratores & ſectatores ſimpliciter & re non ſatis penſitatâ contemnant & exſibilent, ſi in iis, licet vera ſint, Dei gloriam non obſervent neq; celebrent &c. tum *in ſpecie Magiſtratus Politici, Patrum Matrumve familiâs, Medici* & aliorum in certis officiis conſtitutorum, qui omnes circa aqvas ejusmodi habent de qvo ex cornu copiæ verbi divini informari vel admoneri poſſunt.

VII. Verùm noſtri inſtituti non eſt iſta omnia hâc vice perſeqvi: Ea ſolum, qvæ in genere de aqvarum ſalubrium miraculoſarum exiſtentiâ tàm *abſolutâ*, ubi quæritur an dari poſſint & dentur qvandoqve actu iſtiusmodi aqvæ? quàm *reſpectivâ* ad noſtram cognitionem, ubi de mediis illas cognoſcendi & ab aliis diſcernendi res eſt, ad conſcientiarum informationem faciunt, breviter delibâſſe [illegible] ſufficiat.

IIX.

VIII. Cæterum res iſta non adeò expedita eſt. Nam 1. cùm vera, h. e. divina miracula congruere ſoleant ad verbum Dei præmiſſum, ut *Joh. Wigand. in Synt. V. T. p. 1503.* loquitur, nullum de aqvis ſalubribus miraculoſis Verbum promiſſionis divinæ ex Scripturâ. S. proferri poteſt. 2. certum de iis judicium ferre vix licet, ſunt enim vires illarum plerumq; occultæ, effectûs dubii quandoq; etiam aliis cauſis adſcribendi, fama fallax, & qvod præcipuum eſt, ſcientia noſtra de maximis naturæ creatæ viribus perquam tenuis ex qvo contingere facilè poteſt, ut dubia pro certis, falſa pro veris, naturalia pro miraculoſis accipiamus, atq; ſic fallamur ipſi & alios fallamus. Certè non omnis vis naturæ creatæ eſt nota nobis: ideò cùm aliqvid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, eſt quidem miraculum qvoad nos, non autem miraculũ ſimpliciter, qvod extraordinarium Dei concurſum includat. Vide qvæ hanc in rem proferunt *Thomas Aqvinas & Commentatores ejus in part. 1. ſumm. q. 110. a. 4.* & perpende vel ea ſolùm mirabilia, qvæ *Marcellus Donatus & Gregorius Horſtius* hinc inde recenſent in libris *de Hiſtoriâ Medicâ mirabili*, & fateberis, diſcretionem curationis morborum verè & ſimpliciter miraculoſæ, ab eâ qvæ qvoad nos ſolùm miraculoſa eſt vel impoſſibilem planè, vel admodùm difficilem eſſe. Accedit 3. qvod Diabolus qvoqve, ut Deo permittente alia mirabilia producere, ita per aqvas vel in ſpeciem ſaltem & præſtigiatoriè, vel revera etiam ſalutares, curare poteſt morbos, dum, Deo inqvam permittente, vel cauſas, qvæ naturaliter morbos pellunt, modo nobis ignoto cum aqvis conjungit, vel ipſe prius morbos hominibus infligit, qvos poſtea adhibitis aqvis iterum auferat, vel alio modo, qvos ſibi cognitos habet plurimos operatur. Proinde 4. non ſatis tutum videri poſſet, Chriſtianum aqvis ejusmodi extraordinariis uti, ne ordinaria ab ipſo Deo in Naturâ exhibita media contemnere, Deum intempeſtivè petendo vel arripiendo miracula tentare, maximo tandem propriæ etiam vitæ periculo, qvod per promiſcuum atq; non ſatis conſideratum, neq; Chriſtianâ prudentiâ moderatum uſum incurrere facilè poſſet, ſemet exponere ipſum æſtimari qveat.

IX. Sed hæc ad rei difficultatem declarandam adducta ſunto, qvibus, ſi aliis placet, plura addere poſſunt. Nos non omne illis pondus denegamus, qvin lubentes fatemur 1. qvod vehementer ſvadeant, ne in causâ adeò dubiâ temere qvid ſtatuatur, & 2. qvòd reverâ ex illis colligere liceat, non ſtatim omnes illas, quas Vulgus pro miraculoſis habet, aqvas ſive famâ ſolâ ſive re etiam ipſâ ſalubres, abſolutè & ſimpliciter miraculoſas eſſe cùm negari non debeat, Naturam etiam mediis vel occultis vel quandoq; notis fontes ſalubres producere poſſe. Ne tamen nimium iis tribuamus, neq; conſcientias illorum, qvi morbis preſſi deſiderio recuperandæ ſanitatis aut aliorum exemplis, aut aliâ qvâdam

ratio-

ratione moti aqvis hujusmodi vel uſi ſunt vel adhuc utuntur, laqveis intricemos haud extricabilibus: age! prodeant argumenta nonnulla Theologica, qua exiſtentiam ejuſmodi aqvarum neq; reipsâ, neq; ſuppoſitâ ſcripturæ S. revelatione de div. voluntate, ullam veram contradictionem importare, adeoq; poſſibilem eſſe, probent: Tentetur etiam, num talia miraculorum indicia reperiri & aqvis nonnullis, iis inprimis, qvæ præſenti ſcriptioni anſam dederunt, applicari poſſint, ex qvibus vel qvaliscunq; ſaltem certitudo ad conſcientiam informandam ſufficiens, oriatur.

X. Principiò qvod aqvæ ſalubres etiamnum hodiè poſſibiles ſint, hoc qvò probatu facilius eſt, eò nos breviores in argumentis recenſendis erimus. Nimirum demonſtrari illud poteſt 1. *à divinâ omnipotentiâ*, qvæ cùm non ſit alligata ad cauſas ſecundas atq; ordinariam harum in naturâ connexionem, ſed pro lubitu iſtam inhibere vel elevare vel alio qvodam modo mutare poſſit, certè neqvaqvam impoſſibile ipſi erit aqvis qvibusdam miraculoſam ſanandi virtutem concedere, neq; enim *impoſſibile comm DEO eſt omne verbum Luc. I. 37. 2. à divinâ in agendo libertate.* Liber namq; DEUS planè eſt & à coactione & à neceſſitate, qvæ ex qvalicunqve externâ determinatione oriatur, tùm circa ſubſtantiam, tùm circa omnes circumſtantias, atqve inter has locum etiam & tempus, omnium ſuarum actionum. Qvod ſi igitur placuerit ipſi hic & nunc aqvas etiam per miraculum reddere ſalubres, qvis prohibebit. Certè *qvicqvid voluerit, facere poteſt etiam in mari & in omnibus abyſſis* Pſalm CXXXV. 6. 3. *à creaturarum omnium*, aqvæ etiam, mineralium item, metallorum & id genus aliorum corporum naturalium ad hominis ſanitatem conducentium, *conditione.* In omnibus qvippe illis potentia datur obedientialis, qvam vocant, ad recipiendas qvaslibet divinæ omnipotentiæ operationes, etiamſi præter aut ſupra naturam fuerint, ut adeò *qvodlibet DEI dictum factum ſit*, Pſalm. XXXIII. 9. Nullam proinde veram repugnantiam, etiam ex parte creaturarum importat miraculoſa aqvarum ſalubritas, 4. *ab exemplis.* Teſtatur enim Scriptura S., ut ſupra §. 4. qvodammodo monitum fuit, teſtantur Hiſtoriæ tam Eccleſiaſticæ qvàm profanæ, ſæpè DEUM præteritis temporibus virtutem ſanandi aqvis nonnullis per miraculum conceſſiſſe. Exempla adducere qvamplurima poſſemus, qvæ tamen pagellarum excludit anguſtia. Qvidni ergò idem adhuc hodiè poſſit DEUS, qvòd olim potuit? *Non eſt abbreviata manus Domini ad ſalvandum* in morbis etiam corporalibus Eſa. LIX. 1. *Etſi enim DEUS regulariter hodiè miracula non faciat, negandum tamen non eſt, qvod qvotidie in ſanatione ægrorum fiant miracula contra præſumtionem Medicorum*, ut celeber, qvidam Theologus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις loqvitur lib. 1. de Caſ. Conſc. c. 9.

XI. Ita ex reipsâ, Scripturæ tamen Sacræ autoritate confirmatâ patet, il-

illas.

la aqvarum, qvam hic intendimus, poſſibilitas: Propiùs autem, niſi fallor, ad hanc cauſam facit, qvod *DEUS ipſe in Verbo ſuo prædixit miracula ultimis hiſce mundi temporibus in aqvis perpetranda.* Talis autem prædictio, illa præcipuè eſt, quâ Salvator inter extremi diei ſigna recenſet nonnulla in aqvis futura ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου Luc. XXI. 25. qvæ Interpretes communiter exponunt non tantùm de vehementiori maris ſonitu & fluctuum commotione à cauſis naturalibus oriundâ; ſed etiam vel præcipuè vel ſimul de extraordinariis & miraculoſis maris motibus, qvi extraordinariam indicent ſatis. Atq; hanc expoſitionem & horum temporum experientia, & olim Deus ipſe confirmat, dum Joël. II. 30. ſe autoré profitetur מופתים futurorum circa tempus ultimi adventûs Ejus, qvi tempore horæ noviſſimæ in carnem advenerat I. Joh. II. 18. atq; gratiam in Evangelio omnibus obtulerat, effuſis in finem iſtum variis Spiritûs S. donis, in extremo autem die iterum viſibiliter veniet, ut de impiis ſupplicium ſumat ſeveriſſimum.

XII. *Qvorſum verò iſta* inqvis, *ubi nunc non de ſignis extremi diei, quæ terrorem hominibus incutiant, ſed de miraculoſis aqvis, qvæ ſanitatem hominum adjuvent atq; ſic cauſa potiùs ſint lætitiæ, ſermo eſt?* Verùm enimverò utut omninò fateamur, qvod iſta non probent, miracula qvæ Deus circa mundi finem futura prædixit, aqvas fore miraculosè ſalubres, qvod etiam ne ipſi qvidem nos affirmamus; non tamen aliena planè à præſenti inſtituto ſunt, qvia probant, Deum velle hiſce etiam temporibus omnipotentiam ſuam in aqvis demonſtrare: qvia etiam nos informavit, Deum per illa miracula intendere non tantùm impiorum terrorem, ſed & piorum ſolamen per Joël II. 32. Luc. XXI. 28. qvod mirum in modum augetur & confirmatur, dùm unà cum complemento vaticiniorum de terribilibus extremi diei ſignis ſpecimina etiam bonitatis & miſericordiæ divinæ in ipſis etiam aqvis, qvæ portentorum illorum ſubjecta ſunt, experiri licet.

XIII. Atq; hæc pro poſſibilitate aqvarum ſalubrium miraculoſarum dixiſſe ſufficiat: Pro actuali porrò earundem exiſtentiâ vix aliud ſuppetit argumentum, qvàm qvod *ab effectibus*, miraculoſis nimirum morborum ſanationibus, petatur. Hoc verò opus, hic labor eſt, ut miracula vera à præſtigiis, miracula item abſolutè & ſimpliciter talia, ab iis qvæ qvoad nos tantùm talia videntur, diſcernantur. Neq; enim abs re docet *Thomas* p. 1. ſumm. q. 110. a. 4. qvod *miracula ſimpliciter loqvendo dicantur, cùm aliqua fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ: ſed qvia non omnis virtus naturæ creatæ eſt nota nobis: ideò cùm aliqvid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, eſt miraculum qvoad nos.* Ex qvo, aliisq; Thomæ locis *B. Dorſch. in Thom. Aq. Ver. Confeſſ. ſect. IV. §. 14. p. 97.* ſeq. probat, qvod ex

Tho-

Thomæ autem mente miracula quoad nos, à miraculis abſolutè diſcernere non poſſimus.

XIV. Pontificii tamen diſcretionem iſtam omninò docere præſumunt, digni propterea, quos præ aliis hic audiamus. Sed breviter. Negotium illud totum authoritati, diligenti ſcrutinio & judicio Epiſcoporum, Theologorum, aliorumque piorum virorum committunt, ita tamen, ut illos omnes ab unius Capitis Romani judicio dependere jubeant. Ita enim Tom. III. Concil. edit. Colon. de anno 1551. fol. 764. legitur anno 1528. decretum in *Concilio Provinciali Senonenſi* in decr. mor. cap. 40. *Ex multorum fidâ relatione didicimus, ſimplicem populum aliquando levi aſſertione miraculorum ad unum & alterum locum populariter concurriſſe, candelas & alia vota obtuliſſe. Ut igitur credulæ ſimplicitati nobis commiſſæ plebis conſulamus & novis ſuperſtitionibus, lucrique mente corruptorum ad quæſtum occaſionibus obviemus: Sacro approbante Provinciali Concilio diſtrictè prohibemus, ne quis poſthac miraculum de novo factum prætendat, aut populi concurſum in miraculi gratiam & venerationem recipiat: niſi prius loci Epiſcopus de negocio quid ſentiendum credendumque ſit, causâ cognitâ, decreverit.* Ita etiam ſtatuit *ſancta & Oecumenica,* (ſi Diis placet) *Synodus Tridentina* in decr. de vener. Sanct. & Imag. *nulla admittenda eſſe, nova miracula niſi recognoſcente & approbante Epiſcopo. Qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit. Quodſi omninò aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus antequam controverſiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet, ita tamen ut nihil inconſulto ſanctiſſimo Romano Pontifice novum, aut in Eccleſiâ hactenus inuſitatum decernatur.*

XV. Quid autem ad iſtam cauſæ cognitionem requiratur, quiſvè proceſſus in miraculorum diſcretione adhibendus ſit ab Epiſcopo, ex allegatis Conciliorum decretis non apparet. *Honorius* tamen Papa *in cap. Venerabili* (52. tit. 20. lib. II. Decretal.) teſtium juratorum examen requirit, *qui ſigillatim ſuper his, de quibus teſtificantur ac circumſtantiis cum ea interrogentur diligentiâ, quæ ſolet & debet in teſtium receptione adhiberi.* Atqui circumſtantiæ iſtæ & indicia ex teſtibus exploranda, & per Epiſcopum judicio Theologorum aliorumque piorum Virorum exponenda neque ab ipſis Scriptoribus Pontificiis uno planè modo proponuntur, qui præterea ad ea plerumque miracula reſpicere ſolent, quæ hominum miniſterio perpetrantur. Juvabit nihilominus præcipua ex *Ben. Pererio* lib. I. de Magiâ c. 8. *Rob. Bel-*

larmino lib. IV. de Eccleſ. c. 14. *Franc. Svarez.* diſp. IV. de fide ſect. 3. *Spinu-lo Brandenburg.* part. III. c. 9 *Antonino Diana* part. II. Oper. tract. 17. reſ. 48. collecta hic referre. Illa ſunt 1. *dignitas virtutis efficientis: Vera enim miracula, cùm omnis naturæ creatæ vim exuperent, ſolius DEI poteſtate poſſunt effici.* 2. *qualitas eorum qui faciunt; Vera enim miracula licet etiam aliquando faciant homines mali, hoc tamen rarò fit, nec niſi ad confirmationem veritatis & divinæ virtutis declarationem.* 3. *effectuum ſive factorum ipſorum veritas & ſoliditas, diuturnitas & perſeverantia, multitudo & frequentia cum omnib. ſignis & indiciis veritatis, quæ eſſe ſolent in omnib. rebus, quas præclarè gerimus, & ex circumſtantiis loci, temporis, & ſimilibus colligenda ſunt.* 4. *multiplex modus mirabilis operandi ſigna, non per cauſas naturales, vel ope Dæmonis, aut adhibitis præſtigiis & ſuperſtitioſis ceremoniis; ſed vel interiore vel exteriore ſupplicatione & invocatione divinæ virtutis, vel facto ſigno crucis, vel quibusdam verbis ſacris recitatis &c.* 5. *Finis, cujus gratiâ fiunt, ut nimirum ad DEI honorem, Eccleſiæ ac proximi emolumentum vergant, hominesq; non ſolum corpore, ſed multo etiam magis animo juvent.* His 6. ex *Thomâ* p. 3. q. 44. art. 3. ad 2. addunt quidam quod vera miracula fieri debeant *ſubito, in inſtanti & perfectè*, contra quos tamen *Gabr. Vazquez.* in I. Tom. II. d. 2. 4. c. 2. n. 9. docet, *miraculum poſſe fieri ſucceſſivè*, id quod etiam *Diana* l. d. negari omninò non poteſt, utut antea docuerit, quod *ſi quis merito & interceſſione Sanctorum ſanitatem ſucceſſivè & paulatim recuperet, illud non ſit propriè miraculum ſed gratia.*

XVI. Cæterum neque in exponendo indiciorum horum robore Papiſtæ omnes conſentiunt. Quidam enim tantum eis tribuunt, ut *palpabilem* miraculorum veritatem poſſe dicant, quæ vana *Valeriani Magni* de Capucinorum miraculis gloriatio eſt in jud. de Cath. cred. reg. lib. 8. c. 8. p. 248. utpote *ex quibus cuilibet, qui ſanæ mentis eſt & Studioſus veritatis, amatorq; virtutis, non difficile futurum ſit vera miracula à falſis diſcernere* juxta *Pererium.* Juxta *Svarium* indicia iſta *evidentiam* quandam *naturalem videntibus gignere* poſſunt. Alii verò *evidentiâ morali* contenti ſunt, quam quidam ſuperiorem & perfectiorem merè humanâ dicunt, alii in genere ſaltem talem pronunciant, *cui quilibet homo prudens, modò libenter credere velit, credere tutò poſſit*, ſive quæ rem *evidenter credibilem* faciat. *Bellarminus* tandem l. d. §. *Eſt autem*, conceptis verbis fatetur, quod *ante approbationem Eccleſiæ non ſit evidens de ullo miraculo, quod ſit verum miraculum, & quod prius non conſtet nobis certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, illud non eſſe illuſionem Dæmonis*, id quod decretum Concilii Tridentini loco allegato paulò obſcurius inſinuavit.

XVII.

XVII. Hæc illi, de quibus ut ἐπίκρισιν ſubjiciamus ſuccinctam, nolumus equidem nunc inquirere 1, an hactenus allegatum proceſſum in probandis miraculis ſemper obſervent Papiſtæ? neque 2. an indicia enumerata omnia quadrent in ſingula illa, quæ pro veris miraculis venditari à Papiſtis ſolent? Contrarium quippe vel ipſa teſtatur experientia. Nolumus etiam 3. noſtras hic facere controverſias: An judicium de miraculorum diſcretione Eccleſiæ ſuæ ſive circulo committere poſſint Papiſtæ, qui miracula Eccleſiæ notam infallibilem eſſe clamitant? Quo item modo & quo jure miracula aut inter fidei principia, aut inter inſeparabiles & infallibiles veræ Eccleſiæ notas referri poſſint ac debeant? Illa quippe omnia præſenti negocio parum inſerviunt: Modò acceptamus hâc vice ex allegatâ Papiſtarum doctrinâ quòd 1. in miraculorum cenſurâ illa agenda ſint, quæ veritati & pietati, non tamen ſucatæ, ſed quæ Verbo DEI conformis ſit, conſentanea judicantur ab hominibus, qui ſine præconceptis opinionibus veritatem, non quæſtum aut ſuperſtitionum fulcra, ex animo quærunt. 2. ad certitudinem, ſed humanam tantùm, acquirendam vel ocularis inſpectio, vel teſtium fide dignorum, etiam juratorum quandoque, receptio multùm conferat: 3. miracula vera debeant eſſe ſolida, vera & proinde diuturna plerumque ac perſeverantia, non phantaſtica & ſimulata: 4. modus etiam faciendi miracula inprimis attendendus ſit, & tandem 5. finis omninò obſervandus veniat, modò ille certò ſatis cognoſci queat. Hæc enim omnia benè ſe habent.

XVIII. Quod autem ſupereſt, neque in indiciis §. 15. enumeratis probile, neque ex iis certitudinem & evidentiam, quæ huic negotio noſtro ſatisfaciat, colligere poſſumus. Ab utrâque enim parte neceſſum habemus ut confiteamur, quod omnes veræ notæ, ſive propriè dicta certitudinem gignentia indicia debeant eſſe 1. notiora, & evidentiora notatis. 2. infallibilia. 3. adæquata & convertibilia. 4. in ſuo genere vera, ac proinde in Theologiâ ab omni ſuperſtitione aliena. Atqui jamdudum obſervarunt Noſtri, quod requiſita illa in Papiſtarum indicia non cadent. Hoc ut pateat, monſtramus modò, quod indicia illa partim non ſint notiora & evidentiora miraculis, partim fallibilia, partim inadæquata, partim tandem ſuperſtitionem redolentia.

XIX. Indiciorum inquam illorum nonnulla *non ſunt notiora & evidentiora miraculis*, ſed vel magis, vel æquè ſaltem dubia ac miracula ipſa. Tale eſt quod *à dignitate virtutis efficientis* petitur. Hic enim præſentis cauſæ cardo eſt, ut probetur id quod pro miraculo venditatur, non aliâ quàm divinâ virtute productum eſſe. Illi verò idem probari per idem & inevi-

 den-

dentiam ſignati pro ſigni evidentia arripi docent. Hujus etiam furfuris eſt, quod Svarius omnia poſtulat ſigna & indicia veritatis, quæ eſſe ſolent in omnibus rebus, quas præ manibus gerimus: Provoluiſſe enim nunc ſigna illa oportebat, neque verbis obſcuris rem obſcuram obſcuriorem reddere. Tandem finem quoque miraculorum evidenter cognoſcere non ſemper licet, nedum ut ex eo miraculi veritatem evidenter dijudicare valeamus. Vix enim hodie nobis conſtat de fine ſpeciali, quem DEus miracula perpetrans intendit, licet generales, v. g. demonſtrationem divinæ gloriæ, invitationem ad pœnitentiam &c. tunc colligere valeamus, ubi certò conſtiterit, miraculum eſſe divinum.

XX. Porrò quædam ex adductis indiciis *fallibilia* ſunt. Tale eſt, quod à qualitate ejus, qui facit miracula, petit *Pererius*. Nam 1. nullus hominum ordinariè certus eſſe poteſt, certitudine cui non poſſit ſubeſſe falſum, de verâ alterius pietate omnis fuci & hypocriſeos experte, quin ſæpe evenit, ut peſſimus hypocrita de hominum judicio pro optimo habeatur Chriſtiano. Quàm ergò facile eſt hîc & falli & fallere? Neque 2. firmum eſt argumentum à veritate miraculorum ad pietatem operantis ſinceram, aut ipſius regenerationem quam proinde fruſtra adeò urget inprimis *Valerianus M.* l. 6. VIII. de Cathol. cred. reg. c. 8. ſeq. Nam quod hypocritæ etiam, mali ac Pſeudo-Prophetæ vera quandoque miracula DEO juſtis de cauſis permittente edere queant, Spiritus S. apertè docet Deut. XIII. 1. 2. 3. Matth. VII. 22. c. XXIV. 24. & fateri cogitur cum aliis quibusdam Doctoribus Pontificiis ipſe Pererius. Taceo, quod manifeſtus ſit circulus infucatam miraculorum veritatem ab infucatâ pietatis in operante ſinceritate; & iterum infucatam pietatis in operante ſinceritatem ab infucatâ miraculorum veritate probare velle. Nec minùs fallibile eſt, quod multiplex requiritur modus operandi talia ſigna. Nam Diabolus, iſte mille artifex, quin DEO permittente multiplicem operandi ſigna modum adhibere poſſit, nihil prohibet. Imo quod aſtu eundem ipſo adhibuerit, experientia vel in Simone illo, Mago Apoſtolorum tempore celeberrimo ſatis probavit.

XXI. Ulterius nonnulla ex indiciis adductis *inadæquata* ſunt, neque cum veris miraculis reciprocari poſſunt eò quod vel non conveniunt *omnibus* miraculis veris, vel non *ſolis*. Non *omnibus* miraculis veris convenit 1. quòd à ſolis piis perpetrentur, ut §. præc. probatum eſt. 2. quod hominibus ſemper utiliſſima ſint, quædam enim in perniciem impiorum ceſſerunt, ut in diluvio, excidio Sodomorum, miraculis Moſis in Ægypto factis evidenter patet. 3. quod non niſi magnâ aliquâ neceſſitate fiant, neque enim

libere

[illegible]digens, Deus, neceſſitatem hominum ſemper reſpicit, ſed pro [illegible] voluerit, facere ſolet. 4. quòd in inſtanti, ſubitò & per-[illegible] debent. Licet enim eff[illegible] miraculorum perfecti eſſe ſoleant, nulla [illegible] ratio urget, ut in inſtanti ſemper fiant, quin & exempla Naama-nis II. Reg. V. 14 decem leproſorum Luc. XVII. & plura alia in contrarium [illegible]. Non ſolis veris miraculis convenit 1. quod utilia ſint hominibus, nam & opera quædam magica utilitatem aliquam hominibus procurant, ut-[illegible] reſpectu corporis vel bonorum, e. gr. dum ægrotis ſanitatem [illegible] de amiſſis recuperandis informant &c. 2. quod frequenter fiant, cùm Magi etiam Ægyptii, Simon, Elymas multa perpetrarint mira.

XXII. Tandem *ſuperſtitionem* redolet, quod inter verorum mira-culorum [illegible] relatum fuit, Sanctos quandoque facto ſigno crucis vel aliqui-bus verbis ſacris recitatis miracula operari. Neque enim ſignum crucis in ſe & per ſe ullam habet miracula perpetrandi vim; Neque verbum Dei iſto fine revelatum eſt, ut illo adhibito morbi corporales curentur, aut alia pro-ducantur miracula, de quo alibi plura.

XXIII. Nec multum juvabit Adverſarios, *ſi indicia iſta non ſeparanda, ſed conjunctim accipienda eſſe* dixerint. Eſto enim! Tollat illa conjunctio unum aut alterum, quem notavimus, defectum, omnes certè tollere non poterit, ſed pleriqve remanebunt, quod probaremus facilè, niſi ex dictis ſatis pateret & inſtituti noſtri limites aliud urgerent.

XXIV. Hæc autem cùm ita ſe habeant, intuta omninò eſt Papiſtica [illegible] miracula diſcernendi, neque iſta indicia ullam veram evidentiam gi-gnere poſſunt. Non 1. *naturalem*, quia ex iis non licet infallibiliter videre [illegible] ſive corporis ſive mentis connexionem effectuum admirandorum [illegible] verorum miraculorum cauſis. Non 2. *moralem*, quia licet [illegible]es de omnibus & ſingulis indiciis teſtimonium etiam juratum dent, [illegible] tamen evidentia moralis oritur tantùm de veritate facti, non autem de [illegible] miraculi quæ tamen nunc deſideratur. Nã indicia iſta non ſufficiunt [illegible]nem veri miraculi à falſo, uti hactenus probatũ eſt. Ut non adeò [illegible] nunc, quod juxta ipſos etiam Pontificios Doctores *evidentiæ morali poſſit ſubeſſe falſum etiã in modo, quo miracula proponuntur, cùm poſſit mentiri* [illegible]*s ſe miraculum vidiſſe, cùm non viderit*, ut *Petr. Hurt. de Mendozâ* [illegible] diſp. VIII. de animâ ſ. 3. Proinde 3. indicia etiam iſta non poſſunt miracula evincere *evidenter credibilia.* Evidenter namque credibile illud [illegible] Bellarminus lib. IV. de Eccleſ. c. III. *quod non videtur nec in ſe, nec in ſuis principiis, habet tamen tot & tàm gravia teſtimonia, ut quilibet vir ſapiens merito ei cedere debeat.* Nullus autem vir reverâ ſapiens induci poteſt,

eſt, ut indiciis adeò fallibilibus & obſcuris, qualia hactenus conſiderata ſunt, fidem tutò adhibeat.

XXV. Neque verò judicium Romanæ Eccleſiæ cauſam hanc confirmare, aut approbatione ſuâ miraculis certitudinem, cui non poſſit ſubeſſe falſum, conciliare valet. Nam & incompetens & multis modis ſuſpectum illud eſt, quia 1. infallibilitas & Primatus Papæ, qui fundamenti loco hîc præſupponitur, omni caret ſolido fundamento. 2. Eccleſia Romana, qualis hodiè eſt, apoſtaſias à CHRISTI veritate & mendaciorum multorum convicta hactenus eſt: Quis autem talem in cauſâ tàm arduâ agnoſcat judicem? 3. Eccleſiæ Romanæ cauſa plerumque (utut non ſemper) agitur, ubi hodiè de miraculorum veritate diſceptatur. Atqui nemo judex eſſe poteſt in propriâ cauſâ. 4. Papa ipſe non poteſt evidentem de miraculis certitudinem cui non poſſit ſubeſſe falſum, ex allatis indiciis haurire, multò igitur minus illam aliis communicare, tùm ob defectûs hactenus notatos, tùm quia juxta ipſum etiam *Suarium* l. 6. n. 9. *ex illis circumſtantiis poteſt videntibus* (videntibus inquam ſaltem) *evidenter conſtare evidentiâ quâdam naturali, vera eſſe miracula.* Atqui Papa rariſſimè ex αὐτοψίᾳ miracula cognoſcit, ſed plerumque aliorum teſtimoniis credere tenetur, quicquid pro certo agnoſcit: Et præterea evidentiæ etiam phyſicæ poteſt ſubeſſe falſum, quod *Hurt. de Mendozâ* l. d. §. 12. ſeq. probavit. Rectè igitur *Valerianus M. in reſponſ. ad Job. Major. de Acathol. cred. reg.* c. XXIV. p. 99. *nec Eccleſiæ*, inquit, *credendum eſt, niſi adhibeantur rationes ſeu argumenta, quibus conſtet, Eccleſiam in eâ propoſitione doctrinæ revelatæ* (in approbatione miraculi) *nec decipi nec decipere. Ego enim fatuum dico illum, qui autoritate ullius commovetur ad credendum, niſi ea auctoritas rationibus comprobetur, nec ſubjecta activæ nec paſſivæ deceptioni; alioquin Diabolo perinde credendum ac DEO; ſtulto ac viro ſapienti, mendaci ac veraci.*

XXVI. Suas igitur ſibi res habere Papiſtas jubemus, atque eorum non ſatis tuta veſtigia preſsè ſequi nolumus in miraculis probandis. Neque autem hâc vice aliorum etiam Heterodoxorum de hoc negocio placita ventilare poſſumus, ſed ut inſtituti memores de requiſitis & indiciis atquarum miraculosè ſalubrium mentem tandem aperiamus vel ipſa exigit pagellarum anguſtia. Liceat tamen hâc fini de indiciis miraculorum CHRISTI, de requiſitis item verorum miraculorum in communi ex Orthodoxorum Theologorum mente pauca adhuc theticè proferre: iſta enim cauſam noſtram plurimùm adjuvabunt.

XXVII. Indicia miraculorum CHRISTI non uno ab omnibus modo pro-

proponuntur: Plenius verò quàm ex ipſius Salvatoris ore addiſcere iſta non poſſumus. Præcipuum ille fundamentum dociles docebat Johannis Baptiſtæ diſcipulos Matth. XI. 3. quòd complementum Veteris Teſtamenti vaticiniorum de plurimis Meſſiæ miraculis & viſu & auditu percipiebant: Cùm autem acre ipſi eſſet certamen cum Phariſæis, calumniantibus quod dæmonis ejiceret aliaq; perpetraret miracula per Beelzebub Matth. XII. 24. ſeq. Marci III. 22. ſeq. Luc. XI. 15. ſeq. argumenta pro divinâ ſuorum miraculorum veritate adhibebat 1. *à fine ſuorum miraculorum*, quòd nempe illa faciant ad hominum ſalutem & regni Sathanæ deſtructionem, quod tamen ille quantum poſſit conſervare labores. 2. *à modo operandi*, quòd digito DEI operetur, vel illo atteſtante, quod ſæpè per nudum imperium, ſæpè pro divinâ ſuâ libertate adhibitis certis quibusdam ceremoniis, ſæpè etiam abſens neque verbo externo, neque ceremoniis adhibitis miracula patrare poterat. 3. *ab adverſariorum ſuorum robore*, quippe qui fortes etiam armatos, poſſeſſionem domûs ſuæ omnibus viribus defendentes, Diabolos inquam, vincere, armis exuere & ſecum de illis triumphum agere poterat. 4. *à multitudine ſuorum miraculorum*, quæ & ipſe, & Judæorum filii ſæpiùs & multis teſtibus præſentibus edebant. 5. *ab effectuum conditione*, qui non tantùm veri, ſolidi atque ab omni præſtigiarum fuco liberi erant, ſed ſæpè etiam quoad ſubſtantiam ſæpè omnē naturæ creatæ virtutem ſuperabant, dum v.g. Diabolos pugnantes *αὐτεξουσίως* ejiciebat, mortuos etiam jam olentes reſuſcitabat, cœcis natis viſum reſtituebat &c. Hæc tandem omnia 6. confirmabantur ab *actuali aliorum* quoque citra controverſiam ſoli DEO convenientium *attributorum* exercitio, ut hîc, II. *καρδιογνωσίας*, alibi divinæ in miraculis patrandis libertatis Marc. VII. 33. 34. &c.

XXXIX. Hæc ipſius Salvatoris argumenta ſatis confirmant Orthodoxorum Theologorum ſententiam, qui cum *B. Thummio in Luth. Thaumat. p. 11. & B. Balduino Comm. in II. Theſſ. II. f. 1221.* requiſita & indicia verorum miraculorum ex omnibus illorum cauſis petenda docent, quorum etiam veſtigiis nunc inſiſtere placet, ubi iterum monuerimus de miraculis *abſolutè & ſimpliciter* talibus nos loqui: Neque communis nos abſterret illa vox, omnes veritatis miraculi cauſas latere, cùm ſciamus illud tantùm de ſpeciei cognitionis ex ſolo naturæ lumine, de cauſis ex principiis Phyſicis reddendis, de modo item, quo Deus in perpetrandis miraculis agit, nobis non planè perſcrutabili, & ; quod præcipuum eſt, de cauſis miraculorum in ſtatu exercito, intelligendum eſſe. De cætero autem cognoſcere omninò poſſumus, quod 1. *cauſa efficiens* miraculorum ſimpliciter talium principa-

lis ſit ſolus Deus per abſolutam ſuam potentiam præter aut ſupra ordinarium naturæ creatæ curſum agens, atque hoc aut excluſis omnibus cauſis inſtrumentalibus, aut adhibitâ Angelorum, vel hominum, vel aliarum etiam creaturarum ad hoc peculiariter elevatarum operâ. 2. *Subjectum* ſit res creata, vel ſolâ potentiâ obedientiali ad recipiendam omnipotentiæ div. operationem; vel naturali quidem, tali tamen, quæ hic & nunc non niſi per potentiam Dei abſolutam perficiatur, prædita. 3. *Forma* miraculi conſiſtat in præter vel ſupernaturalis facti eſſentiâ verâ, omnia requiſita eſſentialia includente, omnem fucum omnesque præſtigias excludente, ac proinde in ſenſûs ſive per ſe ſive per indubitatos effectûs incurrente. 4. *Finis* tandem non niſi optimus ſit, inprimis gloria Dei & hominum ſalus, quandoque etiam veritatis confirmatio, autoritas viris Dei concilianda, juſtitiæ Dei vindicatricis demonſtratio & id genus plura alia.

XXIX. Hiſce fundamenti loco præſuppoſitis facilius erit in requiſita & notas aquarum miraculosè ſalubrium inquirere. Prius tamen, quàm illud aggrediamur, obſervandum ducimus, quod aquæ ſalubres tribus modis poſſint miraculoſæ dici 1. *in ſe tantùm & ratione virium internarum*, quæ ſecundum ordinarium naturæ creatæ curſum ad ſanationem ægrotorum hoc modo, hoc tempore, aliisque circumſtantiis hic & nunc conjunctis adjuvandam non ſufficiant, ſed per extraordinarium divinæ omnipotentiæ concurſum vel aquis conceſſæ, vel hoc modo ſaltem conjunctæ, diſpoſitæ & elevatæ ſint, quo præter aut ſupra ſuam naturam effectûs à Deo intentos producere poſſint. Hoc modo *aquæ ipſa miraculi* propriè dicti nomen merentur. 2. *ratione effectuum tantùm*, quando nempe Deus per omnipotentiam ſuam ita operatur ſanationem hominis miraculoſam, ut aquâ quidem ceu organo vel medio omnipotentis ſuæ actionis utatur, ipſa verò aqua in ſe neque naturales, neque ſupernaturaliter elevatas vires habeat ad effectum illum etiam inſtrumentaliter ſolùm producendum. Hoc modo *ſanationi* potius ipſi quàm aquæ *miraculi* nomen debetur. 3. *utroque modo ſimul*, ſi nimirum Deus & aquis vires ſanandi, quæ naturam ipſarum excederent, per omnipotentiam ſuam concederet, & ſimul in ac cum applicatione illarum ad morbos pellendos peculiari & ab illo, quo vires ſupernaturales aquis conceſſerat, diſtincto influxu extraordinariè concurreret. *Ita uno plura miracula ſimul* perpetrarentur.

XXX. Ex his modum nunc primum potiſſimum attendimus, quo etiam nunc habito requiſita aquarum ſalubrium ſecundum quatuor cauſarum genera recenſebimus. *Cauſa efficiens principalis* eſt ſolus Deus; Hujus autem

autem *tanſalitas* eſto actio in aquas extraordinaria & per potentiam abſolutam exercita, conſiſtens *quandoq;* in ſupernaturali conceſſione virium miraculoſè ſalubrium, quarum nulla ratio neq; de origine, neq; de diſpoſitione, neq; de operatione ſufficienter ex naturâ dari poſſit, cujus rei exempla ſacra illa ſunt, 2. Reg. V. 14. Joh. IX. 7. *quandoq; in ſupernaturali* diſpoſitione, conjunctione & miſtione mineralium, metallorum, aliorumq; corporum naturalium naturaliter quidem morbis medentium, at ſecundum ordinarium naturæ creatæ curſum hic & nunc non unibilium; *quandoq;* in ſupernaturali elevatione virium de ſe ad hos morbos taliter pellendos naturaliter non ſatis proportionatarum; *quandoq;* in aliis abſolutæ Dei potentiæ influxibus, quos vel intelligere ſolùm omnes non poſſumus, nedum exponere.

XXXI. Cæterum cauſa hæc efficiens principalis num *inſtrumentali* in hoc negotio ſemper utatur? dubium videri poteſt. Sunt enim, qui cum Judæis in omnibus operibus externis in mundum hunc viſibilem Deo Angelos adjungunt: Sunt præterea, qui peculiarem ſingulis elementis Angelum præeſſe credunt, cujus miniſterio omnia in illis opera, etiam miraculoſa, peragantur, pro quo quoad aquas nonnulli mentionem *Angeli*, ut putant *aquarum* Apoc. XVI. 4. urgent. Hi omnes ſi ſuper præſenti dubio ſententiam exponerent ſuam, dubio procul affirmarent, Deum per Angelos aquis vires concedere miraculoſè ſalubres. Nos verò, licet nõ negemus, quòd Deus, ſi velit, poſſit in hoc opere Angelorum miniſterio uti, imò quòd illo uſus aliquando ſit e. g. in *aquis Betheſdanis* Joh. V. 4 non tamen audemus vel affirmare, quòd ſemper illo utatur, vel determinare, quòd hic & nunc illo uſus ſit. Nam error iſte Judaicus de cooperatione Angelorum, etiã inſtrumentali ſaltem, in *omnibus* operibus Dei externis in hunc mundum viſibilem Scripturæ S. apertè repugnat. Altera verò iſta opinio de peculiaribus ſingulorum elementorum Angelis ſolido Verbi Dei fundamento caret, nec quicquam viſione illâ Johanneâ adjuvatur, cùm neq; Angelus ibi Spiritum creatum cæleſtem neceſſariò ſignificet, neq; aquæ propriè accipiendæ ſint, neq; ulla præfecturæ, quam Angelus in aquas teneat, fiat mentio. Sed de his alibi plura.

XXXII. *Materia in quâ* ſive *ſubjectum* noſtri miraculi eſto aqua vera, na-

naſci. *Materia* tandem *ex quâ*, ubi datur & cognoſci poteſt, aquæ eſto & corpora quædam naturalia, mineralia, metalla & alia, inprimis principia, quæ vocant, Chymica, quæ Deus hîc & nunc ſupernaturaliter univerit.

XXXIII. *Forma* aquarum miraculosè ſalubrium eſto veritas eſſentiæ virium in illis ſalubrium ſupernaturalium omnis fuci præſtigiarumq; adeò expers, ut vel ex effectibus illarum veris & in ſenſûs incurrentibus omnis formido falſi aut deceptionis tolli poſſit. Neq; enim vires ipſæ in ſe & propria ſuâ eſſentiâ in ſenſûs incurrunt ſemper, ac propterea ex effectibus evidentibus, miniſterio etiam ſenſuum ſæpè, cognoſcibilibus colligi debent.

XXXIV. *Finis* tandem iſtiusmodi aquarum *proximus* eſto ſanatio morborum, quibus curandis Deus illas deſtinavit; *Ultimus* autem gloria Dei, quam eo ipſo egregiè promovent aquæ tales, quo præcipuos Providentiæ divinæ actûs illuſtrant, & ex attributis Dei ἐνεργητικοῖς potiora, utpote omnipotentiam, ſapientiam, beneficentiam, juſtitiam & plura alia per ipſum demonſtrant exercitium, id quod *B. Job Rothmalerus* in tractatu vernaculo *de Providentiâ divinâ*, occaſione aquarum ſalubrium *Rudolphi-Politanarum* conſcripto p. 148. ſeqq. pluribus declaravit. *Specialiores* quandoq; aquarum talium fines, v. g. incitamenta pœnitentiæ, argumenta conſolationum, imò & pœnarum præſagia & ſimiles à Deo intentos fuiſſe experientia docuit. Sed de his plura hâc vice dicere non attinet.

XXXV. Cauſis potiùs ita delineatis indicia ſubjiciamus in qualemcunq; aquarum miraculosè ſalubrium cognitionem deducentia. Ne autem falcem mittamus in alienam meſſem, mittamus modò indicia materiæ, formæ & finis proximi: Medici enim eſt ex ſuis principiis indicia, naturam & remedia morborum naturalia; Phyſici verò naturales corporum naturalium, aquarum hîc, mineralium, metallorum & Chymicorum præcipuè principiorum vires inveſtigare; Utriusq; cum aliis eruditis atq; prudentibus de veritate ac ſoliditate tùm virtutis aquarum, tùm effectuum adhibitâ in [illegible] experientiâ, judicare. Illa igitur nunc transeant. Sed neq; in indiciis finis ultimi producendis multùm laborabimus: Nam ille non poteſt prius evidenter cognoſci ac indubitato, quàm influxus cauſæ efficientis principalis cognitus fuerit, quantum ſcilicet præſens attingit negocium: De aliis verò nunc non loquimur.

XXXVI. Prodeant igitur *indicia* ſaltem *influxûs divini extraordinarii* in aquas miraculosè ſalubres, atq; duorum illa generum. Deprehendere namq; licet quædam *remotiora* & exceptiones quandoq; patientia, quædam *propinqua* & exceptiones in ſuo genere ſuperantia. Utraq; allegemus, non ut ex iis remotioribus illis cauſam decidamus, ſed quia illorum nonnulla propinquis ſuppo-

nenda

nendæ neceſſariò ſunt, alia, ſi adſunt, cognitionem propinquiorum facilitare poſſunt. Appellamus autem remotiora iudicia illa potiſſimùm, quæ petuntur 1. *à veritate, ſoliditate & diuturnitate virium* in aquis ſalubrium, *effectuum* item, ſive morborum adhibitis illis aquis expulſorum; hic enim ſi fraus ulla ullæve ſubeſſent præſtigiæ, fruſtrà miraculum quæras: ſin autem ſine fuco veritas deprehendatur, magnum illa pro vero miraculo pondus afferre poteſt, omnem tamen dubitandi anſam non præſcindit, cùm Natura etiam ordinariè agens effectûs veros & ſolidos producat, quod Diabolus etiam Deo permittente præſtare quandoq; valet. 2. *à defectu rationum ex naturâ petitarum.* Etenim nemo hominum cauſas ſufficientes illarum virium, quæ ab effectibus in aquis colliguntur, ex principiis naturalibus reddere poſſit, conjectura inde oritur, quod Deus ipſe per omnipotentiam ſuam hîc & nunc operetur, certitudinem verò illud nondum gignere poteſt, quia ab humanâ ignorantiâ in rebus etiam naturalibus ad rei ipſius negationem non valet conſequentia. 3. *à ſubjectorum ſanatorum conditione*, quæ hîc etiam obſervari ita ſolet, ut ſi aquæ ſalubres pauperibus piisq; præ impiis & divitibus adjutorio ſint, inde extraordinarius Dei concurſus colligatur. Licet verò non negemus, quod Deus ſæpiùs in gratiam pauperum piorum miracula operetur, ut ſibi illos curæ adhuc eſſe probet; Edocti tamen ex ipſis etiã ſacris literis ſumus, quod piis etiam divitibus miraculoſè quandoq; benefecerit & in ſpecie ſanitatem illis reſtituerit; quod item beneficia corporalia, quale eſt ſanitatis reſtitutio, impiis etiam certis ob cauſas nonnunquã conferat; & quod tandem pios ſæpè utut remediis etiam miraculoſis utantur, ſub morborũ preſſurâ aliquandiu relinquat, quam ipſis ad animarum ſalutem magis conducere novit ac corporũ ſanitatem. Neq; igitur hoc etiam judicium certitudini gignendæ ſufficit. Conf. quæ ſupra §. xx. diximus. 4. *à circumſtantiis loci, originis ſitus & ſimilibus.* Nam ſi in his peculiare quid & admiratione dignũ deprehenditur, illud conjecturæ de peculiari Dei concurſu anſam quidem dat, periculum autem falſi non tollit planè, cùm *nobis* mirabilia malorum etiam ſpirituum potentiâ in hiſce talibus producta eſſe experientia doceat, ut de variis Naturæ mirabilibus nunc taceamus.

XXXVII. Proinde ſi 1. virtus aquarum ſalubris ex effectibus indubitatis,

nonnulli deſperati & humanâ induſtriâ incurabiles; aut ab ipsâ nativitate in-hærentes: quando item quidam ſunt contrarii ex contrariis cauſis orti [illegible] adeoq; contraria etiam remedia naturaliter requirentes: quando tandem nonnulli ſupernaturales ſunt & vel à Deo ipſo immiſſi, vel Deo permittente à Sathanâ inducti, tunc divinæ omnipotentiæ influxus neceſſariò admittendus eſt, quia 1. morborum congenitorum, illorum præcipuè qui ex defectu virtutis πλαστικῆς ortum trahunt, ſanatio ſoli divinæ omnipotentiæ attribuitur Joh. IX. 32. 33. c. X. 21. 2. omnis cauſa naturalis naturaliter per qualitates ſive nobis notas, ſive occultas agens determinatam agnoſcit activitatis ſphæram, ultra quam aſcendere, aut contrarium illi agere non poteſt. Per naturam [illegible] creatam quamcunq; impoſſibile eſt, ut una eademq; aqua eodem modo, fortè etiam tempore eodem applicata contrarios pellat morbos. 3. Solus Deus morbos à ſe ſupernaturaliter immiſſos curare, ſolus etiam eos, quos Sathanas alligavit Spiritu infirmitatis, *ipſo etiam repugnante*, ſolvere poteſt Luc. XIII. 11. 16.

XXXVIII. Ut verò exceptionibus & periculo ſive activè ſive paſſivè fallendi circa hoc indicium via eò magis præcludatur, notandum adhuc eſt 1. quod non ſit omninò neceſſarium, ut omnes, qui aquis ſalubribus curantur, morbi tales ſint, quales §. præc. notati fuêre; vel etiam, ut omnes aquæ ſalubres ex omnibus ſingulisq; allegatis morborum generibus ſemper aliquos, aut etiam omnes pellant. Sufficit enim, ſi uni ſaltem atq; alteri morbo ex uno vel altero allegatorum genere reverâ medeantur aquæ iſtiusmodi, de cætero autem morbis etiam, qui arte Medicâ & remediis naturalibus curari poſſunt, tollendis inſerviant. 2. quòd unicus actus ſanati alicujus ex dictis morbis vix ſufficiat ad miraculum manifeſtandum, quia fieri poteſt, ut ſanatio iſta non aquis, ſed alii cuidam non obſervatæ cauſæ debeatur. Plures igitur iſtiusmodi actûs requiri putamus.

XXXIX. Sed ſequitur nunc ſecundum indicium propinqvum *ab effectuum diverſitate tali* petendum, *ex quâ indeterminata cauſæ principaliter operantis libertas* appareat. Si namq; eadem aqua, iisdem circumſtantiis, pro iisdem etiam morbis, eodem modo ſe habentibus curandis in diverſis tamen hominibus adhibeatur, diverſi verò inde ſequantur eventus, ut ſcilicet uni medeatur, alteri non tantùm non medeatur, ſed quandoq; etiam morbum augeat, atq; hujus rei nulla cauſa naturalis dari poſſit, tunc divinæ libertatis ſpecimen ibi deprehenditur egregium. Nam 1. omnis cauſa naturalis naturaliter ſive per notas ſive per occultas vires morbis medens, non impedita, neceſſariò agit etq; eodem modo, eosdemq; producit effectûs. 2. Diabolo indetermi-

ſtata adeò libertas, quæ diverſitatis illius cauſa ſit, non convenit. 3. aliud agens quod & liberum ſit, & regimine in homines, pios potiſſimùm, morbos item & remediis polleat, præter DEUM nullum datur.

XL. Obſervandum tamen circa hoc quoq; indicium eſt 1. quòd in ejus inveſtigatione & applicatione diligenti opus ſit & maximâ circumſpectione, ne diverſitas effectuum, quæ impedimentis virium in aquis ſalubrium quandoq; à cauſis juxta ordinarium naturæ creatæ curſum operante oriundis debetur, abſolutæ ſtatim DEI libertati attribuatur. Nulli enim dubitamus, quin vires ſalubres per omnipotentiam etiam DEI aquis quibusdam conceſſæ certis incluſæ terminis ſint, quos omniſcius DEUS pro infinitâ ſuâ ſapientiâ aut bonitatem ſuam, aut hominum utilitatem aut aliud quid reſpiciens, ab æterno conſtituit. Igitur extra hos terminos non repugnat virium etiam miraculoſè ſalubrium impedimenta ſive in genere naturæ ſive in genere morum dari. 2. quòd illud concurſum DEI extraordinarium non tàm cum aquis ſalubribus in ſe, quàm cum illarum applicatione ad morbos curandos manifeſtet.

XLI. Iſta ſunt indicia, quæ diximus propinquiora, quibus ſi alii plura ſed tota tamen ſatis ac evidentia, addere poſſunt, nos non repugnabimus, breviter inpoſterum expoſituri, qualem à Nobis hactenus adducta pro miraculoſè ſalubrium aquarum exiſtentiâ aut probandâ aut cognoſcendâ ſive argumenta ſive indicia gignere poſſint certitudinem & evidentiam. Illa autem res ita ſe habet. Fundamenta §. X. ſeq. pro poſſibilitate iſtarum aquarum ex Scripturis S. adducta evidentiam *ſupernaturalem & certitudinem fidei divinæ* de iſtâ poſſibilitate gignere poſſunt. Teſtimonium enim SPIRITUS SANCTI in Scripturâ S. loquentis infallibile fidei divinæ principium eſt. Indiciorum autem a §. 37. hactenus expoſitorum applicatio evidentiam ſupernaturalem & fidem divinam gignere nequit, imò ne phyſicam quidem evidentiam & certitudinem ſemper & in omnibus gignere poteſt. Licet enim indicia iſta *in actu ſignato* conſiderata, in quantum autoritate Scripturæ S. innituntur, *ſupernaturaliter* certa ſint, actus tamen illorum exercitus, ſive applicatio ad determinatum ſubjectum ita certa non eſt, quia ipſa in ſe & immediatè non fundatur in Scri-

Cæterum quia 1. naturalis illa connexio effectus miraculoſi cum cauſis ſuis, & 2. applicatio indiciorum hic neceſſariorum, ſecundum propriam ſuam eſſentiam & immediate in alio clarè & diſtinctè cognoſci non poteſt, ſed cognitio iſta in fidem ſaltem hominum, de virtute aquarum miraculoſâ, quam in proprio ſenſerint corpore, teſtimonium dicentium reſolvi debet: Ideò quicunq; hâc ratione in cognitionem iſtam deducuntur, *non niſi moralem miraculi certitudinem ac evidentiam haurire inde poſſunt*, quæ tamen eò fortior eſt, quò magis homines teſtimonium dicentes exploratæ fidei ſunt, quò item fortiùs ex ipſo illorum teſtimonio applicatio indiciorum colligi poteſt.

XLII. Num verò moralis iſta evidentia & certitudo ſufficiat ad hoc, ut Chriſtianus ſalvâ conſcientiâ aquis ejusmodi ſalubribus pro recuperanda ſanitate uti poſſit? illud prolixam quidem mereretur tractationem, quæ tamen hujus non eſt loci. Breviter ut nos expediamus, dicimus I. quòd, *ſi ſpes ſit reconvaleſcentiæ ope Medicorum & adhibitis ordinariis medicamentis recuperandæ, Medicorum piorum & eruditorum ope uti tutiſſimum ſit.* Nam iſta morbos pellendi ratio eſt 1. à DEO, præſcripta Jac. V. 14. 2. communiori piorum praxi conformis, quam prolixè filius Siracidis ſuadet c. XXXVIII. 3 à periculis ſuprà §. 8. notatis magis libera. Dicimus tamen II. *quòd nihilominus non peccet contra conſcientiam, qui, ubi de virtute aquarum miraculoſè ſalubrium certitudinem ſibi acquiſiverit moralem, illis ad pellendos morbos præcipuè quidem deſperatos, nihilominus tamen naturaliter etiam curabiles piè utitur, eventum DEO placentem patienter expectaturus.* Nam 1. qui ordinariâ Medicorum operâ utitur; conſcientiâ ſaltem probabili ex morali certitudine de eruditione, diligentiâ & fidelitate Medici oriundâ, quantum ad individuam medicamentorum applicationem contentus eſſe debet. Quis igitur ex ejusdem generis certitudine, morali ſcilicet, conſcientiam de virtute iſtiuſmodi aquarum & theoreticè & practicè probabilem modo hactenus explicato acquirere licet, certè ſine peccato conſcientiam vulnerante aquis etiam illis uti licebit. 2. Si licet, imò in caſu neceſſitatis ex gravi ægritudine oriundæ oportet medicamenta adhibere, quæ Medicus ſecundùm legem nō tantùm juſtitiæ ex officii ratione, ſed etiam charitatis ex generali DEI præcepto obligandi tenetur, tanquam virtutis ſibimetipſi, utut plerunq; in alieno corpore, probatæ proponit, id quod communiter, quicunq; materiam hanc tetigerunt, Theologi docent: Quid prohibebit, ut in eodem neceſſitatis caſu aquæ adhibeantur ſalubres, de quarum virtute certitudine phyſicâ certi fideq; digni homines teſtantur, atq; ſic ex lege charitatis vel conſilio, vel exemplo ſolùm illarum uſum ſuadent? 3. Si ab uſu iſtiuſmodi aquarum abſtinendum planè eſſet, finis, quem Deus vel immediatè, ſi ſimpliciter miraculoſæ, ſive mediante Natura, ſi quoad Nos ſaltem miraculoſæ fuerint, intendit, impediretur, quod tamen neq; conſulendum neq; permittendum eſſe ducimus.

XLIII. Notanter autem diximus, quòd ille ſalvâ conſcientiâ aquas iſtiusmodi adhibere poſſit, *qui de illarum virtute conſcientiam habet probabilem ex morali certitudine oriundam*. Vix enim temeritatis notam & propriæ vitæ proſtitutionem effugeret, quinimò Deum etiam tentaret, qui ſine ullis mori-[illegible] ſuperandi, hoc modo ſanitatis ſpem inducentibus, illo ſine aquis iſtis uteretur. Ubi tamen omninò obſervandum venit, quòd, ſicut aliàs Caſiſtæ conſcientiam probabilem Idiotæ & hominis docti diſtingvere ſolent ex eo etiam, quia poſſibilitas acquirendi majorem vel minorem probabilitatem differt ſecundum variam ſubjectorum diſpoſitionem, quorum alii ob ſtuporem ingenii, ob opificii occupationem, ob eruditionis defectum aliaq; impedimenta ſimilia eò aſcendere non poſſunt, quò alii quos impedimenta iſta non prohibent: ſic pariter ita & in præſenti negocio ruſtici aliiq; idiotæ tàm diligenti indiciorum inquiſitione atq; accuratâ iſtorum applicatione opus non habeant, quàm prudentiores & eruditiores, ut probabilem acquirant conſcientiam. Illi, ſi præcipuè primi experimentum iſtiusmodi aquarum faciant, ſufficere poſſe ipſis motiva quædam externa ab admirandâ origine, ſitu aut ſimilibus circumſtantiis deſumta, aut qualiacunq; aliorum, quos fide dignos æſtimant, hominum teſtimonia, quibus inducti ſingularis in iis virtutis ſpem concipiant: Hi verò, [illegible] officii etiam ratione ad probandas hujusmodi aquarum vires obligati ſunt (quali obligatio Magiſtratum Eccleſiæ miniſtros Medicos & Phyſicos tenet) alii tamen atq; aliâ ſingulos ratione, ut ſupra §. 6. ſubinnuimus, via aliâ vix, quàm haſtenus à nobis delineatâ de veritate virium miraculoſæ ſalubrium conſcientiæ probabilitatem acquirere poterunt.

XLIV. Diximus porrò, quòd ejusmodi aquæ *inprimis ad morbos deſperatos curandos* adhiberi poſſint, pro quo in ſpecie etiam facit, quod ex mente plerorumq; quorundam Caſiſtarum, ſi Medicus intellexerit, certò moriturum ægrotum, niſi medicamentum adhibeatur non carens quidem periculo mortis accelerandæ, junctum tamen cum probabili ſpe ſanitatis recuperandæ, adhibere illud poſſit, ut tradunt *Azorius* Tom. I. Inſt. mor. lib. 2. c. 17. *Layman.* l. I. tract. I. c. 5. de Conſc. *Diana* p. V. tract. 3. reſol. 132. quibus ex Noſtris adſtipulatur *Joh. Steuberus de Conſ. probabili* q. 2. p. 321. Hâc enim doctrinâ ſtante (quæ tamen ab aliis non planè fruſtra exindè impetitur) quod vix in-

rum uſu per Dei gratiam exerceatur ſedulò 1. *ſeriâ pœnitentiâ*, 2. *devotâ* ora*tione*, 3. *obſequioſâ erga* DEUM *fiduciâ*, 4. *Chriſtianâ prudentiâ*, 5. *conſtanti patientiâ*, 6. *debitâ gratitudine* &c. Sed iſta latè exponere noſtri nunc inſtituti non eſt. Multa hùc facientia docuit B. Rothmalerus in laudato ſuprà tracta-tu, quò Lectorem noſtrum remiſſum volumus.

XLVI. Hoc modò reſtat, ut hactenus dicta ad difficultates ſuprà §. 8. motas tollendas applicentur. Nimirum 1. expreſſo Dei verbo præmiſſo ad individuum hoc miraculum pertinente opus ſemper non eſt, ſed ſufficere in præſenti negocio poſſunt, quæ ex Dei verbo §. 10. 11. 12. 27. 28. 37. 38. allata ſunt fundamenta. 2. Licet verum omninò ſit, quòd miracula abſolutè talia ab iis quæ quoad nos ſaltem talia ſunt, certò diſcerni *ſemper & ubiq́* non poſſint; quòd tamen & quo modo diſcretio iſta circa aquas ſalubres inſtitui ac certitudo quædam acquiri queat, multis expoſuimus à §. 14. ad 41. uſq; 3. Diaboli præſtigias à divino in aquas ſalubres influxu diſcernere docent præcipuè quæ §. 37. & 39. notata ſunt. 4. tandem, quomodo conſcientia circa aquarum iſtiusmodi uſum ſalva retineri poſſit §. 42. 43. 44. 45. indicant

XLVII. Ad finem igitur properantes, colophonis loco noſtrum de aqvis illis *Holtz Thalebienſibus*, quæ ſcriptioni huic anſam dederunt, judicium aperire paucis lubet. De illis nempe morali *certitudine certi* ſumus, *quòd ſalubres ſint, hoc enim* teſtimonia hominum fide dignorum nobis expoſita de variis effectibus confirmant: *Miraculoſas* verò *abſolutè & ſimpliciter* taleis eas pronunciare non audemus, tùm quia hactenus nondum potuimus requiſita & indicia hùc neceſſaria omnia evidenter in illis deprehendere; tùm quia à Viris harum rerum peritis notata in illis cognovimus corpora quædam naturalia virtute ſanandi naturaliter prædita, quæ tamen modo hominibus nondum omninò noto cum aquis unita eſſe & qualitates aliquas occultas exerere effectùs docent. Hinc eſt, quòd illas *quoad nos miraculoſas* dici poſſe cenſeamus. Si tamen alii indicia miraculi abſolutè talis deprehendere in illis evidenter potuerint & hâc de re certiores nos reddiderint, grati illis adſentiemur. Nunc autem diſſertatiunculæ huic finem imponimus, in quâ ſi nimis conciſa & fortè obſcura quædam deprehenderit Lector benevolus, id debitæ theſibus brevitati & intricatæ materiæ: ſi non adeò accurata, id feſtinatæ inter media negocia alia operæ: ſin tandem nævos alios, illos humanæ imbecillitati ut imputet, nos, ſi poteſt, rectius informet & veniam, quam ſibi exoptaret ipſe humani quid paſſus, concedat, obnixè rogamus, de cætero dantes,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OMNEM SOLI DEO GLORIAM!